

[The following was copied, by the scribes of the White Trash Scriptorium, from *Hermaphroditus*, edited by Friedrich Carl Forberg (Coburg, 1824). A few obvious corrections were made to the text, supported by the edition of Donatella Coppini (Rome, 1990). These are: 1.15.23 *mares* for *manes*; 1.16.1 *oculis* for *oculi*; 1.33.4 *praecidam* for *praecidat*; 2.1.24 *prae fera* for *praefera*. Also, the distich which Forberg attached to the end of 1.13 has been placed at the end of 1.15, as in Coppini.]

## Antonii Panormitae Hermaphroditus

Non norunt haec monumenta mori.

### Hermaphroditum Libellus Primus

#### I

*Ad Cosmum Florentinum,  
ex illustri progenie Medicorum virum clarissimum,  
quod spreto vulgo libellum aequo animo legat,  
quamvis lascivum, et secum una priscos viros imitetur.*

Si vacat a patrii cura studioque senatus,  
Quidquid id est, placido lumine, Cosme, legas.  
Elicit hoc cuivis tristi rigidoque cachinnos,  
Cuique vel Hippolyto concitat inguen opus.  
Hac quoque parte sequor doctos veteresque poetas,  
Quos etiam lusus composuisse liquet,  
Quos et perspicuum est vitam vixisse pudicam,  
Si fuit obsceni plena tabella joci.  
Id latet ignarum vulgus, cui nulla priores  
Visere, sed ventri dedita cura fuit,  
Cujus et hos lusus nostros inscitia carpet.  
Oh ita sit! Doctis irreprehensus ero.  
Tu lege, tuque rudem nihili fac, Cosme, popellum,  
Tu mecum aeternos ipse sequare viros.

#### II

*Ad semet ipsum loquitur et respondet.*

Cosmus habet dios et lectitat usque poetas;  
Quid studium turbas, rauce poeta, suum?  
Cosmus habet lautas epulas; quid oluscula coenat?  
Una quidem ratio est et studii et stomachi.

III

*Ad Cosmum, virum clarissimum, de libri titulo.*

Si titulum nostri legisti, Cosme, libelli,  
Marginibus primis Hermaphroditus erat.  
Cunnus et est nostro simul est et mentula libro;  
Conveniens igitur quam bene nomen habet.  
At si podicem vocites, quod podice cantet,  
Non inconveniens nomen habebit adhuc.  
Quodsi non placeat nomen, nec et hoc, nec et illud,  
Dummodo non castum, pone quod ipse velis.

IV

*Ad matronas et virgines castas.*

Quaeque ades, exhortor, procul hinc, matrona, recede;  
Quaeque ades, hinc pariter, virgo pudica, fuge.  
Exuor, en braxis jam prosilit inguen apertis,  
Et mea permulto Musa sepulta mero est.  
Stet, legat et laudet versus Nichina procaces,  
Adsueta et nudos Ursa videre viros.

V

*De Ursa superincubante.*

Quum mea vult futui superincubat Ursa Priapo;  
Ipse suas partes substineo, illa meas.  
Si juvat, Ursa, vehi, moveas clunemque femurque  
Parcius, aut inguen non tolerabit onus.  
Deinde cave reduci repetas ne podice penem;  
Quamvis, Ursa, velis, non mea virga volet.

VI

*De Corvino, vinum accurate custodiente,  
non uxorem.*

Corvinus vegetem custodit clave seraque,  
Non cohibet cunnum conjugis ille sera.  
Zelotypus vegetis, cunni sed prodigus ille est;  
Haustu nam cunnus non perit, illa perit.

1. *Vegetis* Latinitate media est dolium, vas vinarium.

VII

*Epitaphium Pegasi, claudi paediconis.*

Si vis scire meum nomen votumque, viator,  
Pegasus hac ego sum claudus humatus humo.  
Vota deinde scias, nomen quum sciveris; audi:  
Sic desiderio tu potiare tuo.  
Quum pathicum quemquam paedicatorum ephebum es,  
Illud in hac tumba, quaeso, viator agas,  
Atque ita mis animas coitu, non thure, piato,  
Scilicet hanc requiem manibus, oro, dato.  
Hoc apud infernas genus est leniminis umbras  
Praecipuum; prisci sic statuere patres.  
Quippe ita Chironis cineres placabat Achilles,  
Sensit et hoc podex, flave Patrocle, tuus.  
Gnovit Hylas patrio percisus ab Hercule busto.  
Tu mihi majores quod docuere lita.

7. *Mis antique pro mei.*

VIII

*De Ursae tentigine et naso.*

Si multus multae est nasus tentiginis index,  
Ursae tentigo tenditur usque pedes.  
Quin si multa ampli nasi tentigo sit index,  
Nasus ad usque tuum tenditur, Ursa, genu.

IX

*Ad Cornutum.*

*Respondet quare relicta Etruria tristior sit.*

Quaeris ab unanimi, dulcis Cornute, sodali,  
Cur videar licta tristior Etruria,  
Cur lusus abiere jocique, et pallor in ore est,  
Muta quid heic subito facta Thalia mea est.  
Pene potens agit heic Gallus, qui cruscula solus  
Quaeque velit, solus basia quaeque velit.  
Is sibi habet quodcunque natis vel podicis urbe est,  
Quidquid et a Tuscis aut aliunde venit.  
Munera dat, Croeso nummato qualia sat sint;  
Muneribus blandas adiicit illecebras.  
Inde edicta suis scribit quasi praetor ephebis:  
Ne sine te tangi, ne sine te subigi.

Non potes ergo loqui puero, ni indulgeat ille,  
Ni velit is, puero non potes ipse frui.  
Tu contra ingenuas mulieres, tu quoque servas,  
Tuve bonas vexas inguine, tuve malas.  
Vix tibi quae natum sacro de fonte levavit,  
Vix sacra, vixque soror, vix tua tuta parens.  
Tu futuis viduas, futuis nuptasque maritasve,  
Et tibi vis cunni quidquid in urbe manet.  
Tu tibi vis igitur tota quid mingit in urbe,  
Ille sibi tota quidquid in urbe cacat.  
Et mihi quin etiam jam constat mentula, qualem  
Qui superat, certe non homo, mulus erit.  
Et mihi nimirum constant viresque vicesque,  
Quales qui vincit, non homo, passer erit.  
Cur mihi non igitur futuendi copia fiat?  
Nec sit quae coleos hauriat ulla meos?  
Quare agedum nobis de partis cede puellam  
Aut unam, aut unam tu mihi quaere novam.  
Tunc me conspicias laetum lautumque licebit,  
Candida tunc pulchrum nostra Thalia canet.

X

*In Matthiam Lupium, claudum maledicum.*

Nescio quis nostram fertur carpsisse Camenam;  
Si non decipior, Lupius ille fuit.  
Illa sibi solita est nimium lasciva videri;  
Confiteor, vitae congruit ergo suae.  
Est vir obscenus, nostrae est lascivia Musae,  
Illa levis versu, moribus ille levis.  
Adde quod id monstri pedibus non ambulat aequis,  
Imparibus constat nostra Camena modis.  
Si culpat versus, et se culpate necesse est.  
Si sapis ergo, tace, prodigiose senex.

XI

*In eundem loripedem.*

Dic mihi, cur longo, Lupi, vestiris amictu;  
An vitium surae vis operire toga?  
Nil agis, o demens, humeri, latera atque moventur,  
Ut tumida nullo remige lembus aqua.

XII

*In Mamurianum, postremae turpitudinis virum.*

Si tot habes scapula penes, quot sorpseris ano,  
Et perfers, vincis, Mamuriane, boves.

XIII

*Lepidinus ab auctore quaerit,  
cur qui semel paedicare coeperit  
haudquaquam desistit.*

Cur qui paedicat semel, aut semel irrumat, auctor  
Nugarum, nunquam dedidicisse potest?  
Immo Brito et bardus, quum vix gustaverit, ultro  
Certat in hoc ipso vincere amore Senas.  
Parthenope Gallis cedit, Florentia Cimbris,  
Si semel his puerum sors tetigisse dedit.

XIV

*In Lentulum mollem, elatum et  
postremae turpitudinis virum.*

Solus habes nummos, et solus, Lentule, libros,  
Solus habes pueros, pallia solus habes,  
Solus et ingenium, cor solus, solus amicos,  
Unum si demas, omnia solus habes.  
Hoc unum est podex, quem non tibi, Lentule, solus,  
Sed quem cum populo, Lentule mollis, habes.

XV

*Ad Lepidinum responsio,  
et quare ursus cauda caret.*

Accipe ridiculam, dulcis Lepidine, fabellam,  
Et quae quod poscis dissoluisse queat.  
Fertur ab horticola divam quaesisse Priapo,  
Seu Venus in dubio est, seu dea Flora fuit,  
Cur, quum velentur quasi quaeque animalia cauda,  
Ursus non cauda membra pudenda tegat.  
Ille refert, escam cupide dum quaereret ursus,  
In tempestivos incidit ille favos,  
Nec comedit primum, licet ipse famelicus esset,  
Quandoquidem merdas credidit esse favos.

At stimulante fame mox haeret, libat et instat,  
Mel sapit, et tandem non edit, immo vorat.  
Rusticus advortit, properat, strepit; ursus obaudit.  
Rusticus is custos mellis et Argus erat.  
Denique robusti cauda subnititur ursi,  
Et trahit, ille novo non trahit ora cibo.  
Pauperiem timet hic, timet hic de melle moveri,  
Ille suo perstat proposito, ille suo.  
Verum adeo trahit, adeo hic contrarius obstat,  
Manserit ut stupida cauda revolsa manu.  
Hic deus hortorum, dum subdere plura pararet,  
Arrigit, et pepulit mentula tenta deam.  
Sic qui forte mares semel inclinaverit, idem  
Haud facinus coeptum destituisse potest.

XVI

*Laus Aldae.*

Aldae oculis legere domum Charitesque Venusque,  
Ridet et in labiis ipse Cupido suis.  
Non mingit, verum si mingit balsama mingit;  
Non cacat, aut violas si cacat Alda cacat.

XVII

*Ad Corydonem,*

*ardentem Quintium, turpem et deformem puerum.*

Quintius is Corydon, quem vesanissime flagras,  
Siccior est cornu, pallidiorque croco.  
Aridus in venis extat pro sanguine pulvis,  
Deque suo gracili corpore sudor abest.  
Aethiopi perhibent gens concubuisse parentem,  
Atque ideo gnatos edidit illa nigros.  
Si risum elicias, rictum inspicias sibi, qualem  
Prodit in aestivo tempore cunnus equae.  
Si buccam olfacias, culum olfecisse putabis,  
Verum etiam culus mundior ore suo est.  
Mentula perpetuo tibi quam contracta jacebit,  
Tu sibi dumtaxat basia fige semel.  
I procul hinc, Quinti, foedum putensque lupanar,  
Atque alio quovis ista venena feras.  
Quis numeret, quot hians absorpserit inguina podex,  
Quot naves Siculo littore Scylla voret?  
Ipse palam patitur, pudet heu, muliebria cuivis,  
Ipse palam tota prostat in urbe puer.

Qui puerum hunc igitur quit paedicare, profecto  
Is poterit rigidas supposuisse feras.

XVIII

*In Hodum mordacem.*

Hodus ait nostram vitam non esse pudicam;  
E scriptis mentem concipit ille meis.  
Non debet teneros Hodus legisse Catullos,  
Non vidit penem, verpe Priape, tuum.  
Quod decuit Marcos, quod Marsos, quodve Pedones,  
Denique quod cunctos, num mihi turpe putem?  
Me sine cum tantis simul una errare poetis,  
Et tum cum vulgo crede, quid, Hode, velis.

XIX

*Ad Baptistam Albertum, de Ursae luxuria.*

Comis es, et totus pulcer totusque facetus,  
Litteribus totus deditus ingenuis,  
Atque Albertorum claro de sanguine cretus  
Nec morum quisquam est nobilitate prior.  
Quum placeas cunctis raris pro dotibus, idem  
Tu mihi pro vera simplicitate places.  
Veridicus cum sis et apertae frontis amicus  
In parili nostro casmate dic quid agas.  
Si mihi sint epulae totidem, quod in alite plumae,  
Uno luxuriens has edet Ursa die.  
Si mihi sint totidem vegetes, quot in aequore pisces,  
Uno subsitiens ebibet Ursa die.  
Si mihi sint totidem loculi, quot littore arenae,  
Hos omnes uno depleat Ursa die.  
Si mihi sint totidem libri, quot in aere pennae,  
Hos omnes uno foenerat Ursa die.  
Si mihi sint totidem penes, quot in arbore rami,  
Hos omnes uno sorbeat Ursa die.  
Denique si nasis essem, Baptista, refertus,  
Hos foetore omnes imbuet Ursa die.

2. *Litteribus* per nimiam fere licentiam poeticam.

8. *Casmate* audacter pro *casu*.

XX

*Ad Quin[c]tium, quomodo possit arrigere.*

Ad non dilectas, Quinti, tibi mentula tenta est,  
Si tibi jucunda est, non potes arrigere.  
Qui vult posse, suum digitos intrudat in anum;  
Sic perhibent Helenae consuevisse Parim.

XXI

*Epitaphium Horjectae, Senensis puellae  
bellissimae ac moratissimae.*

Postquam marmoreo jacet hoc Horjecta sepulcro,  
Ipsa deum credam numina posse mori.  
Non fuit absimilis forma aut virtutibus ipsis  
Coelitibus, Senae gloria magna suae.  
Heu heu non probitas, species aut unica quemquam  
Abs inclementi demere morte potest.  
Quodsi clara deos faciat mortalia virtus  
Corpora, si coelum simplicibus pateat,  
Non dubitem, per vim modo non sibi jura negentur,  
Dejiciet supera sede puella Jovem.

XXII

*Epitaphium Baptistae virgunculae,  
sororis Horjectae.*

Hic tumulus longe tumulo felicior omni  
Baptistae auricomae virginis ossa tegit.  
Dulciter haec agili pulsabat cymbala dextra,  
Movit et artifices saltibus apta pedes.  
Omnibus et cantu plus quam Philomela placebat,  
Matre quidem pulcra pulcrior illa fuit.  
Indolis egregiae minimo pro errore rubebat,  
Sparsa rubore placens, fusa rubore decens.  
Quum satis haec fecit naturae luce suprema,  
Transierat vitae vix duo lustra suae.

XXIII

*Ad Matthiam Lupium, Grammaticum.*

Annua publicitus tibi larga pecunia, Lupi,  
Solvitur; et pueris quot legis ipse? tribus.

XXIV

*In eundem litterarum ignarum.*

Inde tui libri sunt, inde scientia, Lupi.  
Qui non desipiat, mallet habere libros.

XXV

*Ad Minum, quod libellum castrare nolit.*

Mine, mones nostro demam de carmine penem,  
Carmina sic cunctis posse placere putas.  
Mine, meum certe nolim castrare libellum,  
Phoebus habet penem, Calliopeque femur.

XXVI

*In Matthiam Lupium paediconem.*

Ergo tua, Lupi, si pascitur Hisbo culina,  
Cur non obsequitur jussibus ille tuis?  
Etsi grammatica instituas hunc arte magister,  
Cur tibi dat tenera verbera crebra manu?  
Nescio Tiresiae sortes, nec haruspicis artes,  
Sed conjectura hoc et ratione scio.

XXVII

*Ad Sanctium Ballum, versuum suorum cultorem.*

Sancti, nugarum lector studiose mearum,  
Cui plus quam satis est nostra Camena placet,  
Desine mirari versus, quos inter edendum  
Edimus, aut hora carmina lusa brevi.  
Testis es, ut, quum jam versu defixior essem,  
E digitis calamos subtrahat Ursa meis,  
Carmina, jam gnosti, strepitu persaepe foroque  
Condita sint medio, qualiacunque legis.  
Quum platea dubius peterem verbumque locumque,  
Factus sum monitu certior ipse tuo.  
Verum adeo longe me diligis, ut tibi vatis  
Thraicii videar concinuisse lyra.  
Si qua tamen nostrae dederit sors otia pennae,  
Et me tranquilla scribere mente sinat,  
Est animo, versus, quos nulla obliteret aetas,  
Conficere, ingenii ni mihi vana fides.

Interea felix et amans, mi Balle, valet,  
Fiant et Parcae ferrea fila tuae,  
Et tua crudelis deponat Masia fastus,  
Atque utinam felix, compatriota, vale.

XXVIII

*Lauridius ad auctorem de flagrantissimo amore suo.*

Me vexat Perusinus amor, vincitque Senensem,  
Heu capit, heu vexat me Perusinus amor.  
Collibeat summo proles Perusina tonanti,  
Grata foret superis stirps Perusina deis.  
Carolus insignis forma natoque decore  
Me tenet, et tenero sub pede colla premit.

XXIX

*Ad Lauridium responsio de amore suo.*

Ut lubeat Perusinus amor te verset et angat,  
Me mea Senensis Lucia nympha capit.  
Gens tibi gensque Jovi placeat Perusina superno,  
Me mea dumtaxat nympha Senensis amet.  
Nil mortale tenet, divas et moribus aequat  
Et specie, et Jovis haec digna rapina foret.

XXX

*Sena civitas Etruriae loquitur, et Jovem orat,  
ut saltem sibi nympham servet mortalitatis expertem.*

Jupiter omnipotens et clementissime divum,  
Exaudi fundit quas tua Sena preces.  
Justa precor, justas audi, justissime, voces  
Urbis, et oh miserae commiseresce, deus.  
Postquam me affligi tantorum morte virorum  
Et nuruum placuit, vivat alumna precor.  
Vivat alumna precor; quam scis prolixius unam  
Mater amem, stabile est matris alumna decus.  
Nympha diu superet, patriae faustissima proles,  
Est honor et dos, spes, gloria, fama mei est.  
Ut peritent cuncti, et maneat modo nympha superstes,  
Damna potest patriae restituere suae.  
Si vivit, mecum est virtus, victoria, mos, pax,  
Nobilitas, et cum nobilitate salus.

Si migrat, sane cuncta haec et plura peribunt,  
Mors sua mors nobis omnibus acris erit.  
Non amor, aut cultus, nec erit jocus ullus in urbe,  
Plausus, nec risus, laeta nec ulla dies.  
Gymnasium pariter solvetur, gloria Senae,  
Quod mea jucundo lumine nympha tenet.  
Credite vos superi, celebris curate puella  
Vivat, longaevo est digna puella die.  
Dii deaeque iterum moneo, servate puellam,  
Et sinite Etruria stet decus urbe suum.  
Credite, si nigrae truncent sua pensa sorores,  
Ingens coelicolis pugna deabus erit.  
Suscipiet siquidem coelestis regia nympham,  
Atque opus est proprio cedat ut una polo.  
Aut sibi promeritae decimum statuētis Olympum,  
Nympha quidem coelo est Lucia digna novo;  
Aut pellat quamvis propria de sede necesse est,  
Digna quidem coelo est Lucia nympha suo.  
Dicite vos, coelum si pro virtute secutae  
Sitis, una illa poli munere digna mage est?  
Nulla fuit vestrum, veniam date, purior illa,  
Moribus, ingenio vel pietate prior.  
Denique centenos operam date victitet annos,  
Neu cedat vestris mors sua forte malis.  
Ergo simul, divae, mecum exorate tonantem,  
Ut praestet nymphae tempora longa meae.

XXXI

*Ad Cosmum Florentinum, virum clarissimum.*

Quam modo sensisti si non tibi grata fuit vox,  
Cosme, nihil miror; Sena loquuta fuit.

XXXII

*Epitaphium Catharinae, puellae ornatissimae.*

Hoc jacet ingenuae formae Catharina sepulcro.  
Grata fuit multis scita puella procis.  
Morte sua lugent cantus lugentque choreae,  
Flet Venus, et moesto corpore moeret Amor.

XXXIII

*In Mamurianum Tuscum penisuggum.*

Tuscus es, et populo jucunda est mentula Tusco;  
Tusculus et meus est, Mamuriane, liber.  
Attamen e nostro praecidam codice penem,  
Praecidam simulac, Mamuriane, jubes.  
Nec prius abscindam, nisi tu prius ipse virilem  
Promittas demptam suggere nolle notam.

XXXIV

*Ad Amil[i]um paediconem.*

Hunc paedicato, qui portat, Amile, tabellam,  
Et referas, quae sit pulcra tabella magis.

XXXV

*De villico stulto, Aldam basiante.*

Porticus ingentem facie dum sustinet Aldam,  
Villicus incautae basia rapta dedit.  
Hunc vulgus stolidum credit, sed stultius illo est,  
Vulgus. Me miserum, quam bene, stulte, sapis!  
Quum liceat stultis impune suavia nymphae  
Figere, dii facerent, stultus ut ipse forem.

1. *Porticum* dicit, quem *portitorem* dicere debebat.

XXXVI

*In Matthiam Lupium paediconem.*

Lupius indoctum dum paedicaret ephebum,  
Dixit, io clunes, dulcis ephebe, move.  
Hic ait, id faciam, verbo si dixeris uno;  
Ille refert: ceve, diximus, ergo move.

XXXVII

*Epitaphium Sanz[i]i Ligoris, belli ac domi praecipui.*

Temporibus luteis in me Romana refulsit  
Virtus prisca domi militiaeque simul.  
Nomen erat Sanzus, clara de stirpe Ligori,  
Sarcophago hoc tegitur corpus, et umbra polo.

XXXVIII

*Ad Pontanum, Pollam semideam ardentem,  
pro qua vehementer orat.*

Si vacat, Aoniis o vir pergrate Camenis,  
Accipe quod pro te lingua animoque precer.  
Ut tibi dent annos superi, dignissimus aevo es,  
Dignior est digno candida Polla viro.  
Et tibi sit facilis tenera cum matre Cupido,  
Dignior est tenerae Polla favore deae.  
Et visens nullo possis, Pontane, videri,  
Dummodo semidea tu videare tua.  
Atque anus enervis, quae semper murmurat in te,  
In fontes urnae pondere tracta cadat.  
At via declivis fieri planissima possit,  
Sentiat et gressus semper amica tuos.  
Et si dulce canas, possit vox ipsa videri  
Dulcior, et credat suavius esse nihil.  
Inque dies crescat calor hic, et possit amare  
Strictius hic illam, strictius illa virum.  
Et tibi jam possit nymphe praeclara videri  
Tyndaris, ac illi tu videare Paris.  
Hispidus actutum queat exspirare maritus,  
Ni deus hortorum vir sit, ut esse putas.  
Sive sit ipse deus, seu non, tamen ipsa maritum  
Te fingat, tecum seque cubare putet.  
Et tibi contingat demum inclusisse labellis  
Et linguam, et dominae sustinuisse femur.  
Si forte unanimis pro me, Pontane, precari  
Atque vicem votis reddere forte velis,  
Id precor adsidue, noctuque diuque precare,  
Ut sit deformis nulla superstes anus.  
Sit tibi nil mirum, si inculta et dissona mitto  
In risu et medio carmina ficta joco.

XXXIX

*In maledicum.*

Est qui me coram meque et mea carmina laudet,  
Et me clam laniet meque meosque sales.  
Obticeat, ni se laniavero clamve palamve,  
Inque suas maculas ipse trilinguis ero.

XL

*Ad Crispum, quod suas laudes intermiserit  
rustico cacante.*

Arbor inest medio viridis gratissima campi,  
Limpidus hinc constat rivulus, inde nemus.  
Hanc avis adventat, pulcraque sub arbore cantat,  
Lenitur sonitu lucus et unda suo.  
Heic de more aderam, versus dictare parabam,  
Adstiterat calamo Clio vocata meo.  
Crispe, tuos coepi sanctos describere mores,  
Quive vales prosa, carmine quive vales,  
Utque tua summus sis civis in urbe futurus,  
Ut meritum virtus sitque habitura suum.  
Rusticus interea satur egesturus in herba  
Se fert, contigua pallia ponit humo,  
Mox aperit bracas, coleos atque inguina prodit,  
Leniter et nudas verberat aura nates,  
Inflectit genua, ac totum se cogit in orbem,  
Imposuit cubitos crure, manusque genis,  
Postera jam talos contingere crura videntur,  
Se premit, et venter solvitur, inde cacat.  
Tunc ex vocali ventosa tonitrua culo  
Dissiliunt, strepitu tunditur omnis ager.  
Excitior, calamus cecidit, dea cessit in auras,  
Ad crepitum trullae territa fugit avis.  
Deprecor, ut primas plantas, male rustice, vites,  
Post modo sat sitiens non sua vina bibas,  
Rustice, sulcatae summittas semina terrae,  
Nec panem esuriens, nec miser esse queas.  
Ergo vale, et tum cum concinna revertitur ales,  
Jam pergam laudes scribere, Crispe, tuas.

XLI

*Preces oratum mittit Aurispam Siculum, ut sibi Marcum Valerium Martialem commodet.*

*De Precibus pulcra Homeri fictio.*

Preces, ut tradit Homerus, divae sunt, et puellae magni Jovis. Hae et claudae et lippae sunt, hisque *Ates* praevenit, idem nocumentum, quae sanis ac validis pedibus constat, et longe anteit, nocens hominibus per omnem terram, Preces vero post sequuntur. Qui autem veneratur puellas Jovis prope venientes, maxime illum quidem juvant et rogantem exaudiunt. Qui vero eas adspernatur, ac dure repellit, orant abeuntes Jovem, uti hunc insequatur nocumentum, et damnatus det poenas.

Ite, Preces, natae magni Jovis, en praeit *Ates*,  
*Ates*, quae vobis praevia monstrat iter.

Si multum validis nocumentum passibus anteit,  
Ite citae, lippae, loripedesque Preces.  
Ivit Ate, cuivis omnem nocitura per orbem,  
Ite citae vestris gressibus, ivit Ate.  
Est Florentina celebris tellure poeta,  
Quem numerat genitis Sicilis ora suis.  
Illius ex lepido cantant Heliconides ore,  
Illius ex digitis pulsat Apollo chelyn.  
Non peperit Latium, non Graecia mille per annos  
Eloquio similem vel probitate virum.  
Illi ego non parvo jam pridem jungor amore,  
Jam pridem nobis mutuus extat amor.  
Hunc petite, hunc vigili vos offendetis in aede,  
Cantantem altisonis regia gesta modis.  
Hunc igitur magni Jovis exorate puellae,  
Per si qua est scriptis fama futura suis,  
Ut mihi concedat perrara epigrammata Marci;  
Illa libens relegam, restituamque libens.  
Si facilis, divae, coram venientibus extet,  
Et meritis vobis exhibeatur honos,  
Aequae adjutrices hunc exaudite rogantem,  
Sitis et huic placidae, parque referte pari.  
Quodsi vos nihili faciat dureque repellat,  
Poscite confestim, turba repulsa, Jovem,  
Hunc ut terribili nocumentum voce sequatur,  
Et damnas poenas detque luatque graves.

28. *damnas*. Venetus exhibet *merito*.

## XLII

*Ad Cosmum, virum clarissimum, de libri divisione.*

In binas partes diduxi, Cosme, libellum,  
Nam totidem partes Hermaphroditus habet.  
Haec pars prima fuit, sequitur quae deinde secunda est.  
Haec pro pene fuit, proxima cunnus erit.

## XLIII

*Ad Cosmum virum clarissimum,  
quando et cui legere libellum debeat.*

Hactenus, o patriae decus indelebile, panxi,  
Convivae quod post prandia, Cosme, legas.  
Quod reliqui est, sumpta madidis sit lectio coena,  
Sicque leges uno carmina nostra die.

# Hermaphroditi Libellus Secundus.

## I

*Ad Cosmum Florentinum,  
ex illustri progenie Medicorum virum clarissimum,  
quod civili juri operam dare et merito pergit,  
quum hac tempestate non sit quisquam  
remunerator poetarum.*

Cosme, vir Etrurias inter celeberrime terras,  
Si sileas, videor velle videre tuum:  
Malles, posthabitis jamjam lusuve jocove  
Clausissem forti strenua bella pede.  
Ut tu magnanimus, sic et permagna cupiscis,  
Hei mihi, sed nostro tempore Caesar abest.  
Hic tibi sit largo pro Caesare gloria dices;  
Sed tales epulas non meus alvus edit.  
Laurea sit cuivis, dum sit domus aurea nobis.  
Auratam facient aurea jura domum.  
Dant lites requiem, donant chirographa nummos.  
Hoc lex dat, voces gloria sola dabit.  
Haec alit, haec fatuas duntaxat inebriat aures,  
Scilicet et venter carior aure mihi est.  
Famaque quantalibet veniat post funera nobis,  
Excipiam nullos mortuus aure sonos.  
Ergo sequor prudens leges ac jura Quiritum,  
Prostituo prudens verba diserta foro.  
Cum vacat officio legali, ludicra condo,  
Dum bibo, quae nobis immeditata fluunt.  
In mensa nequeunt heroum gesta reponi,  
Non sunt implicitae proelia mentis opus.  
Sit mihi Maecenas, claros heroas et arma  
Cantabo, et nugis prae fera bella feram.

## II

*Ad puellas castas.*

Vos iterum moneo, castae nolite puellae  
Discere lascivos ore canente modos.  
Nil mihi vobiscum est. Vates celebrate severos.  
Me Thais medio fornice blanda legat.

III

*Laus Aldae.*

Si tibi sint pharetrae atque arcus, eris, Alda, Diana;  
Si tibi sit manibus fax, eris, Alda, Venus.  
Sume lyram et plectrum, fies quasi verus Apollo;  
Si tibi sit cornu et thyrsus, Iacchus eris.  
Si desint haec, et mea sit tibi mentula cunno,  
Pulcrrior, Alda, deis atque deabus eris.

IV

*In Aldae matrem.*

Ut mihi tu claudis, mater stomachosa, fenestram,  
Sic tibi claudatur cunnus, iniqua parens.  
Id tibi erit gravius, caelebs videre licebit,  
Quam tibi si coeli janua clausa foret.

V

*Laus Aldae.*

Alda, puellarum fortunatissima, gaude:  
Vincitur omnipotens igne Cupido tuo.  
Alda deos omnes specieque et moribus aequat;  
Sit minime mirum, si capit Alda deos.

VI

*Ad Philopappam,  
deperientem Sterconum, virum turpem.*

Ni te detineat Sterconus, scire volebam,  
An stomachus peni sit, Philopappa, tuo:  
Et stomachus certe talis, qui digerit Aetnam,  
Albicat hiberna cum magis Aetna nive.  
Quid loquor in nebulis, qui non intelligor ulli?  
Simpliciter dicam, quid, Philopappa, velim.  
Est puer, hunc ardes, quin deperis; et puer ille  
Sit tibi, ter decies qui nova musta bibit?  
Jam pridem aegrotat; cur aridus instar aristae est?  
Et dubites, vultus larva sit, an facies.  
Quamvis ipse gula sit longus, quum tamen ossa  
Proluit os, vellet guttur habere gruis.  
Est sibi pro bello rubicundula tibia naso,  
Et patula cerebrum nare videre potes.

Cruribus atque ano densorum sylva pilorum est,  
Qua possit tuto delituisse lepus.  
Mentis multivolae est, venalis, potor edoque,  
Diligit et tantum munera, more lupae.  
Ille, ita me dii ament, sic est, aut turpior; at tu  
Proh pudor, hunc plus quam viscera coecus amas.  
Nescio quem vulgus dicat flagrasse lucernam;  
Derisi quondam, sed modo vera putem.  
Non erat in populo formosior alter Etrusco,  
Non erat Italico gratior orbe puer.  
Coecus amor plerum mortalia pectora coecat,  
Nec nos a falsis cernere vera sinit.  
Cur edat ille fimum, vulpes quaesivit asellum;  
Nam memini, dixit, quod fuit herba fimus.  
Sic puto tu referes cuivis fortasse roganti,  
Diligis hunc ideo, quod tener ante fuit.  
Coecus es, et credis me cassum lumine coram  
Sterconum eximiis laudibus usque ferens.  
Crura licet pueri bombycea lautaque dicas,  
Crura tamen siccae pumicis instar habet.  
Jam modo crediderim, te verpum posse Priapum  
Scilicet et Lybicas accubuisse feras.  
Immanem ergo fovet stomachum tua mentula, verum  
Nil videt, usque oculos ederit illa suos.

## VII

### *Ad Aurispam de Ursae vulva.*

Ecquis erit, vir gnare, modus, ne vulva voracis  
Ursae testiculos sorbeat usque meos?  
Ecquis erit, totum femur haec ne sugat hirudo,  
Ne prorsus ventrem sugat ad usque meum.  
Aut illam stringas quavis, Aurispa, medela,  
Aut equidem cunno naufragor ipse suo.

## VIII

### *Aurispae responsio.*

Si semper tantus spiraret in aequore foetor,  
Neminis ut nasus littora ferre queat,  
Quis vel in Adriaco, Scythico quis navita posset,  
Aut in Tyrrheno naufragus esse mari?  
Et tu ne timeas; nam cum magis arrigis Ursae,  
Cumve magis cupias, vulva repellet olens.

Haec flat ita horrendum, quod pingue et putre cadaver  
Ursae cum cunno lilia pulcra foret.  
Haec flat ita, ut, merdis si quisquam conferat inguen,  
Sit violae et suaves multa cloaca rosae.  
Sin tuus hunc talem non horret nasus odorem,  
Ut sit tunc vulvae strictior Ursa dabo.

IX

*Ad Ursam flentem.*

Quid fles? en nitidos turbat tibi fletus ocellos!  
Quid fles, o lacrymis Ursa decora tuis?  
Forte quod adversus te acciverit ira Camenas,  
Aut mihi quod tu sis non adamata putes?  
Crede mihi, mea lux, tantum te diligo, quantum  
Non magis ex animo quisquis amare queat.  
Tu quoque me redamas. Dubium est, qui vincit amore,  
Alter utram vincit, vincitur alter utra.  
Cur igitur credis vitio qui ductus iniquo  
Inter nos rixam dissidiumque cupit?  
Juro per has lacrymas et crura simillima lacti,  
Perque nates molles, et femur, Ursa, tuum,  
Quod nunquam nisi quae te laudent carmina feci;  
Sic sit versiculis gratia multa meis.  
Ah pereat quaeso tibi qui mendacia dixit!  
Ah pereat falsum qui tibi cunque refert.  
Terge tuos fletus, sine te dissuavier, Ursa,  
Parce mihi, luctu torqueor ipse tuo.  
Tandem siste tui lacrymas, curaque salutem,  
Namque ego te domina sospite sospes ero.

X

*De poena infernali, quam dat Ursa auctori superstiti.*

Si calor et foetor, stridor quoque sontibus umbris  
Sint apud infernos ultima poena locos,  
Ipse ego tartareas, dum vivo, perfero poenas,  
Id mihi supplicium suggerit Ursa triplex.  
Nam sibi merdivomum stridit resonatque foramen,  
Fervet et Ursa femur, putet et Ursa pedes.

XI

*In Hodum mordacem.*

Quod genium versusque meos relegisve probasve,  
 Gratum est; quod mores arguis, Hode, queror.  
 Crede velim nostra vitam distare papyro.  
 Si mea charta procax, mens sine labe mea est.  
 Delicias pedibus celebres clausere poetae,  
 Ac ego Nasones Virgilioque sequor.

XII

*Epitaphium Erasmi Biber[i]i ebrii.*

Qui legis, Erasmi sunt contumulata Biberi  
 Ossa sub hoc sicco non requieta loco.  
 Eripe, vel saltem vino consperge cadaver.  
 Eripe; sic quaeso sint rata quaeque voles.  
 Ossa sub oenophoro posthac erepta madenti  
 Conde, natent temeto fac; requietus ero.

XIII

*Ad amicum carum, quod sui causa  
 Pistorium se conferat.*

Salve, vir populo spes certa et maxima Tusco,  
 Salve, praeclaros inter habende viros,  
 Salve, qui, longos si sis provectus in annos,  
 Tempora Phoebea virgine cincta feres.  
 Accipe si sileam tibi rem fortassis emendam,  
 Quaeque animo nil non sit placitura tuo.  
 Nuper apud molles Senas fit pestifer aër,  
 Quo fit, ut ipse petam Pistoriense solum.  
 Sunt aliae Etruriis potiores montibus urbes;  
 Sed tu non alios incolis ipse locos.  
 Sis modo Pistorii, Romam vidisse fatebor,  
 Cum magis illa armis floruit aucta suis.  
 Interea pathicam mihi, dulcis amice, puellam  
 Delige, quae vernas exspuat ore rosas;  
 Neve sit exiguus toto sub corpore naevus,  
 Sit quoque cui tenerum spiret amoma femur,  
 Digna sit affectu, suavem quae novit amorem,  
 Quae velit et flammis reddere grata vices,  
 Mersilis in vitium, vivens in amore jocove,  
 Praeque proco cupiat postposuisse colos,

Divitibus vates, praeponat carmina gazis,  
Sit pro versiculo vilis arena Tagi,  
Denique sit pro qua sic possim dicere vere,  
Pace dei dicam, pulchrior illa deo est.  
Illam ego continuo nostris celebrabo Camenis,  
Carmina si placeant, carmina mille dabo.  
Quae si pro numeris ferat oscula, carmina condam,  
Qualia Virgilium composuisse putes.  
Nec mihi Castalios latices petiisse necesse est,  
Sit mihi Castalius salsa saliva liquor.  
Haec ego praestiterim, tu tantum quaerito nympham,  
Quae thiaso et cantu docta sit ante alias.  
Tandem perpetua salve mens digna salute,  
Cum tua nimirum sit mea paene salus.

4. *Virgine pro virgula.*

19. *Mersilis, novum verbum nostri.*

#### XIV

*Ad Sanseverinum, ut versus facere pergat.*

Sanseverine, tuam legi bis terque Camenam,  
Et placet, et nullo claudicat illa pede.  
Dii simulac facili praestant tibi pectora vena,  
Hortor Pierios condere perge modos.  
Res sane egregia est, mortalia fingit et ornat  
Pectora, post obitum miscet et illa deis.  
Tu duce me actutum vises Parnassea Tempe,  
Deque sacro pleno pectore fonte bibes.  
Nec te destituam, modo tu consortia vites  
Cum rudis atque hebetis, tum rudis atque hebetis.  
Crassa quidem ruditas parvo te polluet usu,  
Inficietque tuos transitione sinus.

#### XV

*In Matthiam Lupium claudum.*

Lupius, absposcis me rara epigrammata Marci;  
Concedam, rectis passibus ipse veni.

XVI

*In eundem grammaticum.*

Tres habet arcana Matthias Lupius aula  
Discipulos; unus de tribus est famulus.

XVII

*Pro M. Succino ad Mauram.*

Pulcrrior argento es, sed eris formosior auro,  
Si bona reddideris verba, benigne puer.  
Est pia vestra domus, fratres, germana, parentes;  
Sis pariter mitis, si pia tota domus.  
Est tua forma decens, mens sit quoque pulcra licebit;  
Convenient formae reddita verba tuae.  
Conservare viros perituros regia res est;  
Haec nos coelitibus res facit esse pares.  
Ast ego Castalio deducam fonte sorores,  
Quae formam et mores et tua facta canant.  
Quid melius Musa tribuam? quid carmine majus?  
Si potius quid sit carmine, posce; dabo.  
Quem sacri vates voluere, est fama perennis;  
Tu quoque, ni fallor, carmine clarus eris.  
Namque ego doctiloquo vivaces carmine reddam  
Semper amicitias, sit modo vita, pias.  
Quippe boni de te capient exempla minores,  
Gaudebunt actus saepe referre tuos.  
Lux mea, Maura, vale, tibi meque meamque Thalam  
Dedo, velis uti, lux mea, Maura, vale.

XVIII

*Pro M. Succino orat, et ut speret de L. Maura  
exhortatur.*

Dii faciles, incepta precor, Succine, secudent,  
Cum puero fautrix sit Cytherea suo,  
Ut responsa hilari sint convenientia formae,  
Et reddat pulcer verbula pulcra puer.  
Est pia tota domus, fratres, germana, parentes,  
Nescio quin speres, si pia tota domus.  
Ipse pios longe superat pietate propinquos;  
Nescio cur patri Maura sit absimilis.

XIX

*In Matthiam Lupium.*

Lupius in pueros, si quis screat, intonat; idem  
Dum comedit, pedit; cum satur est, vomitat.

XX

*In Lentulum mollem.*

Si neque tu futuis viduas, neque, Lentule, nuptas,  
Si tibi nec meretrix, nec tibi virgo placet,  
Si dicas, quod sis calidus magnusque fututor,  
Scire velim, mollis Lentule, quid futuas.

XXI

*Epitaphium Martini Polyphemi, coci egregii.*

Siste, precor, lacrymisque meum consperge sepulcrum,  
Hac quicumque studens forte tenebis iter.  
Sum Polyphemus ego, vasto pro corpore dictus,  
Martinus proprio nomine notus eram,  
Qui iuvenes studiis devotos semper amavi,  
Quem liquet et famulos et superasse coquos.  
Nunc ego funebri tandem spoliatus honore  
Thure carens summa sum tumultus humo.  
Me Mathesilanus tempesta in nocte recondi  
Jussit, et exequias luce carere meas.  
Nec cruce nec cantu celebravit nostra sacerdos  
Funera, nec requies ultima dicta mihi,  
Clamque fui sacco latitans raptimque sepultus,  
Nec capiunt coleos arcta sepulcra meos.  
Dum feror obstipui, timuique subire latrinas,  
Nec loca crediderim religiosa dari.  
Oro pedem adjecta claudas tellure parumper,  
Qui patet, heu vereor ne lanient catuli.  
Continuo domini complebo ululatibus aedem  
Infaustis, poenas has dabit ipse suas.

XXII

*Laus Aurispae ad Cosmum.*

Si quis erit priscis aequandus, Cosme, poetis,  
Et si cui Phoebus Pieridesque favent,

Si quis cum loquitur vel splendida facta reponit,  
Mercurium jures ejus ab ore loqui,  
Quive alios laudet, cum sit laudabilis ipse,  
Quive hedera merito tempora nexa ferat,  
Si quis erit linguae doctus Grajae atque Latinae,  
Si non Aurispa est hic, periisse velim.  
Quisquis in hoc mecum non senserit, arbiter aequus  
Non fuit, aut certe Zoilus ille fuit.

XXIII

*Ad Galeaz, quem orat ut sibi Catullum inveniat.*

Ardeo, mi Galeaz, mollem reperire Catullum,  
Ut possim dominae moriger esse meae.  
Lectitat illa libens teneros lasciva poetas,  
Et praefert numeros, docte Catulle, tuos.  
Nuper et hos abs me multa prece blanda poposcit,  
Forte suum vatem me penes esse putans.  
Non teneo hunc, dixi, mea lux, mea nympha, libellum;  
Id tamen efficiam, forsitan habebis opus.  
Instat, et omnino librum me poscit amicum,  
Et mecum gravibus nunc agit illa minis.  
Quare ego per superos omnes, o care sodalis,  
Sic precibus lenis sit Cytherea tuis,  
Te precor atque iterum precor, id mihi quaere libelli,  
Quo fiam nostrae gratior ipse deae.

XXIV

*Matthiae Lupii sententia ad Balbum.*

Balbe, scias calidi quae sit sententia Lupi,  
Quam modo versiculis prosequar ipse meis.  
Si saepe efflictum cupiat mea mentula cunnum,  
Interdum adfectet cruscula cauda salax,  
Non tamen usque adeo delira aut plena libido est,  
Ut popisma palam cumve cohorte rogem.  
Nolim cum populo compaedicare Iacinthum,  
Cum multis ipsam non Helenem futuam.  
Sic ait; id digito dictum tibi, Balbe, ligato,  
Et clam paedico clamve fututor agas.

3. Forsan pro *efflictum* dedit auctor *efflictim*.

## XXV

*Ad Memmum de partu Luciae nymphae.*

Cum modo per dominae vicum mihi transitus esset,  
 Haec ego pro nympha parturiente precor.  
 Nunc age, nunc, Lucina, meae succurre puellae,  
 Quae parit, atque aliquem jam paritura deum est.  
 Ah dolor, en clamat supplex tua numina poscens,  
 Vocibus et lacrymas addit amara suis.  
 In me dii luctum dominae transferre velitis,  
 Etsi me miserum non minor angor habet.  
 Quid cessas? est, diva, tibi laus maxima, si tres  
 Incolumi nympha restituisse potes.  
 Hei mihi, ne superi, si in te mala forte rogarim,  
 Audierint, votis et cruciere meis.  
 Parcite moratam, superi, laesisse puellam,  
 Et facite, ut veniant in caput illa meum.  
 Quin vereor, neu te dudum Venus effera vexet,  
 Sicque tua poenas impietate luas.  
 Cernis ut ultricem durum est offendere divam;  
 Ergo tuo mitis sis facilisque proco.  
 Quid tardas, Lucina? veni faustissima nymphae,  
 Lenis io nymphae prospera diva veni.  
 Postmodo solemnes certe tibi construet aras,  
 Imponetque tuis menstrua thura focus.  
 Haec ego, sed quoniam dea sit tibi promptior, oro,  
 Ipse tuas praestas, splendide Memme, preces.  
 Nil dubito, quin flore dato votisque peractis  
 Exsolvet partus molliter illa suos.

## XXVI

*De suo occulto amore.*

Uror, et occultae rodunt praecordia flammae;  
 O ego si sileam terque quaterque miser!

## XXVII

*In Matthiam Lupium, virum ignavum.*

Aonia rediens Matthias Lupius ora  
 Castalidum sterile nunciat esse lacus,  
 Et siccas laurus, nullam et superesse puellam,  
 Singula contactus comperit esse nihil.  
 Impuri nequeunt oculi spectare sorores,  
 Scilicet ignavis Pegasis unda latet.

XXVIII

*Pro Centio ad Contem, ut ex rure redeat.*

Centius hanc vidua tibi mittit ab urbe salutem,  
Lux mea, mi Contes, dimidiumque animae.  
Quid mihi laetitiae superest, ubi rura petisti?  
Spiritus est membris visus abire meis.  
Id mihi laetitiae tantum est, puer urbe remansit,  
Inque suos vultus conspicio ipse tuos.  
Ne fuge, care puer, sine te, germane, videri,  
Dumque agit in sylva, ne fuge, care puer.  
Plura velim, sed plura loqui dolor impedit, ergo  
Vivere si cupias me, cito rure redi.

XXIX

*Ad Leutium foeneratorem,  
ut Plautum commissum habeat.*

Hunc tibi quam possum Plautum commendo, Leuti,  
Plautum, quem vocitat lingua Latina patrem.  
Haud de te modicum, vates, aboleverat aetas,  
Te modo pernicies altera foenus edit.

XXX

*Epitaphium Nichinae Flandrensis scorti egregii.*

Si steteris paulum, versus et legeris istos,  
Hac gnosces meretrix quae tumulatur humo.  
Rapta fui e patria teneris pulchella sub annis,  
Mota proci lacrymis, mota proci precibus.  
Flandria me genuit, totum peragravimus orbem,  
Tandem me placidae continuere Senae.  
Nomen erat, nomen notum, Nichina; lupanar  
Incolui, fulgor fornicis unus eram.  
Pulcra decensque fui, redolens et mundior auro,  
Membra fuere mihi candidiora nive.  
Quae melior nec erat Senensi in fornice Thais  
Gnorit vibratas ulla movere nates.  
Rapta viris tremula figebam basia lingua,  
Post etiam coitus oscula multa dabam.  
Lectus erat multo et niveo centone refertus,  
Tergebat nervos officiosa manus.  
Pelvis erat cellae in medio, qua saepe lavabar,  
Lambebat madidum blanda catella femur.

Nox erat, et juvenum me sollicitante caterva  
Substinui centum non satiata vices.  
Dulcis, amoena fui, multis mea facta placebant,  
Sed praeter pretium nil mihi dulce fuit.

XXXI

*Conqueritur, quod propter pestem  
a domina amotus sit.*

Quando erit, ut Senas repetam dominamque revisam?  
Me miserum molli pestis ab urbe fugat.

XXXII

*Optat pro Nichina defuncta.*

Oro tuum violas spiret, Nichina, sepulcrum,  
Sitque tuo cineri non onerosa silex.  
Pieriae cantent circum tua busta puellae,  
Et Phoebus lyricis mulceat ossa sonis.

XXXIII

*Laus Cosmi, viri clarissimi.*

Cosme, quis est Latiis vir felicissimus oris  
Conjugio, gazis, prole, parente, domo?  
Quis patriae spes est? quis sanguine clarus avito?  
Vates quis priscos servat, amatque novos?  
Pace quis Augustus, Caesar quis Julius armis?  
Quis fiet mira pro probitate deus?  
Cosme, quis hic est? aut certe tu, Cosme, vir hic es,  
Aut certe quis sit nescio. Cosmus, es hic.

XXXIV

*Auctoris discipuli versus ad L. Mauram,  
quod non servet promissa.*

Cur non, Maura, venis? cur non promissa fidemque  
Solvis? cur nullo pondere verba refers?  
Nam memini dixti nobis venientibus ex te:  
Ite alacres, cras hinc vos petiturus ero.  
Cras venit, nec te aërea deducis ab arce,  
Cras it, nec tu nunc, perfide Maura, venis.

Quodsi nos flocci facias, et ludere jam fas  
Esse putas, noli spernere, Maura, deos.  
Maura deos temnit, juravit numina divum,  
Quod nos paganico viseret ipse solo.  
Maura deos temnit memores fandi atque nefandi,  
Spernit et ille viros, spernit et ille deos.  
O levior foliis, avium ventosior alis!  
Femineum et turpe est fallere sic alios.  
Si te, Maura, juvat me fallere, falle, sed illum  
Carmine qui claret ludere, Maura, cave.  
Tu vatem et nomen, verum non dogmata nosti.  
Nosce, capesse cito, carmine doctus eris.  
Non mercede docet quemquem, non indigus auro est,  
Virtutis solum motus amore docet.  
Me docuit doctor doctissimus edere versus;  
Perdidici, et nunc jam carmina nostra legis.

XXXV

*Ad libellum, ne discedat.*

Quid vis invito domino discedere? quid vis?  
Quid te de nostra dejicit aede, liber?  
Quo fugis, infelix, degunt ubi mille Catones,  
Mille, quibus tantum seria lecta placent?  
Cum censore, miser, rigido laedere, rubesces,  
Cumve minus poteris, laese, redire voles.  
Vana tui quaeso domini praesagia sunt,  
Sitque timor vanus, thusque piperque teges.  
I, verum auctoris rogitet si nomina lector,  
Immemorem nostri nominis esse refer.

XXXVI.

*Caballus fame periens  
de Lelphe lusco domino conqueritur.*

Si qua tuus queritur, cupidissime Lelphe, caballus,  
Da veniam, macies cogit et alta fames.  
Pulcer equus certe, velox pinguisque fuissem,  
Pectora quam sint et fortia et ampla vide,  
Aptaque sint videas quam cetera membra peraeque.  
Quod natura dedit, sumpsit avara manus.  
Ah quotiens phaleris tectus fera bella subissem!  
Ah quotiens cursus praestitus esset honos!  
Rodo nihil, rodit sed nostras inedia vires,  
Non etiam nostris dentibus herba datur.

Vix mihi dat noster paleas aliquando dominus,  
Barbariem metro barbarus ille dedit.  
Turpe quidem dictu, sed cogit turpia fari  
Turpis herus, proprio stercore pascor ego.  
Stercore pascor enim, sed stercore pascimur ambo,  
Nam tu ne comedas, non, vir avare, cacas,  
Neve bibas etiam, non mejere, Lelphe, videris.  
Extitit, ut perhibent, dira Celaeno parens.  
Sella carens lanis quae fecerit ulcera dorso,  
Lusce, vides, caudae vulnera, lusce vides.  
Cur equitans aspris calcaribus ilia tundis,  
Si vix sat plane debilis ire queam?  
Cur agilis vis dem crudelia in aera saltus,  
Tibia si nequeat lassa movere pedem?  
Ipse quidem collo malleum vectare quadrigas,  
Degere quam miseri sub ditioe viri.  
Ocius affectem pistrino, Lelphe, dicari,  
Sub te funestam quam tolerare famem.  
Vera quis haec credat, nisi credunt vera molares?  
Ferrea sunt longa frena comesa fame.  
Ordea cornipedi dulcis datur esca caballo,  
Sorbuisset hos nunquam sed mea bucca cibos.  
Vera loquar, verum quis possit credere ventrem  
Duntaxat vento vivere posse meum?  
Est mihi, vae misero, macies incognita toto  
Corpore, et infractis artubus ossa sonant.  
Sim licet informis, simque aridus, hoc magis malim,  
Quam Lelpus vacui pectoris esse velim.  
Est Lelpus rationis inops et mentis egenus,  
Corpus ei ut sus trux efferitate riget.  
Quum loquitur, boas ut bos, et flat putor ab ore,  
Ut dubius perstes, culus an os loquitur.  
Quum ridet, fauces inhiant, ut asellus hiascens,  
Fit mihi de risu nausea saepe suo.  
Plura equidem quererem, quoniam sunt plura, sed heu heu  
Lingua loqui plus nunc debilitate nequit.  
Jam morior; socii, stabulum, praesepe, valet.  
Me miserum, videor debilitate mori.  
Vos procul ite, ferae, procul hinc vos ite, volucres;  
Quo ruitis, modo vos pellis et ossa manent.  
Plaudite, nam Lelpum luscum mandetis avarum,  
Ille crucis poenas furcifer ille dabit.

XXXVII

*Ad libellum, ut Florentinum lupanar adeat.*

Si domini monitus parvi facis, i, fuge, verum  
Florentina petas moenia, parve liber.  
Est locus in media, quem tu pete, festus in urbe,  
Quove locum possis gnoscere, signa dabo.  
Alta Reparatae scitare palatia divae,  
Aut posce agnigeri splendida templa dei.  
Heic fueris, dextram teneas, paulumque profectus  
Siste, vetusque petas, fesse libelle, forum.  
Heic prope meta viae est, heic est geniale lupanar,  
Qui sua signa suo spirat odore locus.  
Huc ineas, ex me lenasque lupasque saluta,  
A quibus in molli suscipere sinu.  
Occurret tibi flava Helene, dulcisque Mathildis,  
Docta agitare suas illa vel illa nates.  
Te viset Jannecta, sua comitante catella,  
Blanda canis dominae est, est hera blanda viris.  
Mox veniet nudis et pictis Clodia mammis,  
Clodia blanditiis grata puella suis.  
Galla tuo peni vel cunno, nam tibi uterque est,  
Injiciet nullo tacta rubore manus,  
Annaque Theutonico tibi se dabit obvia cantu,  
Dum canit Anna, recens afflat ab ore merum.  
Te quoque conveniet crissatrix maxima Pitho,  
Qua cum deliciae fornicis Ursa venit,  
Teque salutatum transmittit Thaida vicus  
Proximus, occiso de bove nomen habens.  
Denique tam celebri scortorum quidquid in urbe est  
Te petet, adventu laeta caterva tuo.  
Heic obscena loqui, simul et patrare licebit,  
Nec tinget vultus ulla repulsa tuos.  
Heic quod et ipse potens, quod et ipse diutius optas,  
Quantum vis futues et futuere, liber.

XXXVIII.

*Ad Cosmum de libri fine et dedicatione.*

Cosme, vale, vatum spes et tutela novorum,  
Jamque suos fines Hermaphroditus habet.  
Cum nequeat majus, nam turbant otia curae,  
Hoc tibi quodcunque est devovet auctor opus.